





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*DE*  
**EXPEDITIONE**  
**ACTUUM**  
**JUDICIALIUM**  
**EXRAJUDICIALI,**  
**ET IN LOCO PRIVATO,**  
**ANNUENTE** <sup>QUAM</sup> *1711. 6<sup>a</sup>*  
**DIVINA GRATIA,**  
**AUSPICIS**  
**RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI**  
**FRIDERICI AVGVSTI,**  
**PRINCIPIS REGII ET SAX. HERED. ETC. ETC.**  
**PRÆSIDE**  
**DN. GEORG. BEYERO, J.U.D.**  
**PANDECT. IN ACADEMIA WITTEBERGENSI P. P.**  
**ET DICASTERIORUM, QUÆ IBIDEM FLORENT,**  
**ASSESSORE GRAVISSIMO,**  
**PRO LICENTIA GRADUQUE DOCTORIS**  
**PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXPONET**  
**GOTTLOB RIVINUS, LIPSIENSIS.**  
**DIE V. OCTOBR. AN. MDCC XI.**  


---

**VITEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.**



EXCEPTEA  
ACQUAM  
INDICIALEM  
EXTRA INDICIALE  
TERRAOCRINA  
ANAGRA DIVINA CROWN  
TERIBRIG AVASTI  
IN EHO O LEB  
GEORGI  
DIOCELETI TORKI COEGELETI GEORGI

494.



I. N. J.

DE

# EXPEDITIONE ACTUUM JUDICIALIUM EXTRAJUDICIALI ET IN LOCO PRIVATO.

§. I.



Agna quidem vis eorum esse solet,  
quæ a judice, in loco judicij pera-  
guntur, quin quoque nonnulli aëtus  
necessario ibidem expediri debent,  
nihilominus tamen, cum judici per-  
petuo cohæreat jurisdictionis exer-  
citium, & cognoscendi facultas,  
multa sæpiissime extrajudicialiter  
& in ædibus privatis ab eodem suscipiuntur, quæ eun-  
dem effectum ac si revera in loco judicij facta fuissent,  
producunt: multa ulterius negotia pertractantur in lo-  
co privato, remoto plane judice, quibus jura & usus fori  
eandem validitatem adscribunt, quem producerent, si  
actualiter in judicio fuissent instituta, qua de re dum  
exantlatis feliciter examinibus, disputationem proponen-  
dam meditor inaugurem, nonnulla non attenta distin-

A 2

etio-

etione, quæ vulgo inter actus voluntariæ & contentiose jurisdictionis intercedit, de iis differere animus est. Faxit divina gratia, ut in sanctissimi ejus nominis gloriam cedant.

## §. II.

*Testamentum* primo se loco offert, quod in *judiciale* & *extrajudiciale*, seu *privatum* dispesci, plus quam notum est; prius judici pro tribunali sedenti præsentibus *Assessoribus* & *Actuario* ab ipso *Testatore* est offerendum. DAN. MOLLER ad *Conf. 3. P. 3. n. 13.* posterius adhibito *Notario* in loco *privato* & *extrajudicialiter* adhibitis consuetis solennitatibus perficitur. Cum vero *Testamenti factio* sit voluntariæ jurisdictionis, cuicunque judici alias etiam incompetenti *Testamentum domi* & *privatum* conscriptum in loco *judicij* offerri & ab eodem insinuatio ad acta peti potest. JOH. CHRIST. HEROLD. *Conf. 16. n. 34.* Contra, si quis morbo corruptus & lecto affixus se declarare velit, quomodo post mortem suam fieri cupiat, cum ipsi *judicem* adire non liceat, requirere hunc potest, ut veniat ad ipsum, & in ædibus suis tanquam in loco *privato* vel recipiat *testamentum scriptum*, vel audiat *nuncupativum*, & tunc iridem *judiciale* ac coram *Actis* factum dici meretur, DN. CASP. HENR. HORNIUS *Consultat. Class. 6. Respons. 38. n. 1.* quicquid contrarius esse videatur HERM. VULTEIUS *Confil. Marburg. Vol. 1. Conf. 34. n. 55.* Quemadmodum expresse disponit *Constit. Elect. 3. P. 3. verbis:*

Wo auch Gerichts-Personen von Gerichtswegen zu einem/der franz ist in seine Behausung auf sein Erfordern geschickt/ und er vor ihnen ein Testament macht / so wird es davor gehalten / als wäre es coram Actis, und vor Gerichte geschehen.

Nam

Nam Acta ibi intelliguntur, ubi aliquid sit auctoritate judicis, quoconque etiam in loco extra judicium. CARPZ. in Proc. Tit. 2. Artic. 4. n. 8. 9. 32. quæ verba Conf. Elect. insimul innuunt, non sufficere, si testator ipsem, vel alius ejus nomine privatim, quosdam e senatu vel judicio ad id roget, tanquam testes, sed necesse esse, ut senatus vel judex ipsem a testatore vel alio ejus nomine rogatus personis illis, quæ sunt in officio injungat, ut testamenti factio nomine senatus, vel judicis intersint. MOLLER. ad dict. Constit. n. 25. CARPZ. P. 3. Conf. 3. Def. 20.

## §. III.

Quanquam vero de jure communi sufficiat testamentum judici & Actuario in loco privato offerri: DN. HORN. Class. 16. Respons. 30. n. 1. Nec ullum dubium, quin per consuetudinem tale quid introduci possit, CARPZ. P. 3. Conf. 3. def. 19. Nihilominus de Jure Saxonico necesse est, ut Actuariorum duoque Scabini adhibeantur ad confectionem Testamenti judicialis extra locum judicii, Decis. Elect. 45. Nam ad judicium extra tribunal judicialie formandum, ut assideant etiam Scabini, pro forma requiritur Cap. enim II. X. de Probat. & Constit. Elect. 3. P. 3. in plurali loquitur de personis judicialibus SCHILTER. Exercit. ad ff. 38. Tb. 37. CARPZ. P. 3. Conf. 3. def. 17. num. II. aut una saltem persona judicialis cum Actuario sufficit, si huic a Domino jurisdictionis in genere plenarium jurisdictionis exercitum demandatum fuerit, quod confirmat Decis. Elect. 73. Contra ipse judex præfens esse non tenetur, cum nullibi ejusdem præsentia ad validitatem actus requiratur, quod quoque dicendum de præfectis, quippe quibus cum a Principe concredita sit juris-

A 3

dictio-

6 DE EXPED. ACTUUM JUDICIAL. EXTRAJUDICIALI

ditionis administratio, merito subdelegandi potestas tribuenda, vid. D.N. JOH. BALTHAS. WERNHER. Select. Obs. 23. P. 1. unde sponte fluit, apud judicem solum, vel quæstorem, domi suæ existentem, insinuationem testamenti factam, nullius esse momenti. CARPZOV. Part. 3. Conf. 2. def. 7. MOLLER. ad dict. Constit. n. 41. &c hæc quidem recte se habent, quotiescumque judex recipit Testamentum in ædibus ejusdem jurisdictioni subjectis; sed, quid si eidem in loco privato extra limites jurisdictionis suæ sito v. g. Rectori, aut præfecto, in civis oppidani domo declaratum, vel insinuatum fuerit testamentum, an id jure facere poterit judex alias incompetens ratione personæ? Scio equidem jure antiquo Romano Exercitium Actuum voluntariæ jurisdictionis nullam causæ cognitionem requirentium, non solum extra tribunal judicii, sed extra territorium jus dicentis permitti. L. 2. ff. de offic. Proc. §. 2. J. de Libertinis. L. 36. §. 1. ff. de Adoptionibus L. 17. §. 1. ff. de Manum. Vindiſt. At enim vero mores nostri & status Imperii Germanici, uti olim erat, commodam applicationem ad tempora nostra respuunt, siquidem sceptrum Romanum tenente Justiniano, jurisdictione saltem erat ministerialis, nec aliquius privati Patrimonio adscripta, adeoque nemo Magistratum conquerendi gaudebat facultate, quod suprema potestas, cui perpetuo liberum desuper disponendi arbitrium reservatum erat, voluntariæ jurisdictionis exercitium aliis Magistratibus in alieno Territorio concesserit, Contra his nostris moribus superioritas & jurisdictione ut plurimum patrimonialis & cum certo Territorii districtu vel fundo, vel etiam sine fundo in certum Territorium districtum vel fundum per infeu-

infeudationem aliamve concessionem titulo saepius oneroso concessa, ut ne quidem a concedente interverti ac quicquam in præjudicium illius suscipi queat, quare multo minus ab alio judice, qui alias extra Territorium pro privato habetur, ejusmodi actus jurisdictionis suscipi poterit. Nam jurisdic<sup>t</sup>io adhæret tan-  
tum personæ in districtu jurisdictionali, extra hanc ju-  
dex habetur pro privato, HEROLD. Conf. 27. n. 104. nec  
auctoritatem aliquam judiciale habet PHILIP. ad De-  
cis. 44. Obs. 1. n. 41. 42. ut taceam, judici, alias ordinario &  
competenti, hac ratione commodum sportularum adi-  
mi, frustra denique peri exemplum a Notariis, cum  
aliud sit testamentum judiciale, aliud privatum, &  
extrajudiciale, ut adeo analogiæ juris neutiquam adver-  
fari arbitrer, si testamento tali vim judicialis testamenti  
denegare, actumque talem pro turbatione jurisdictionis  
haberi velis. Consentit MENOCHIUS Conf. 48. n. 59.  
MATTH. COLER. d. Process. Execut. P. 2. cap. 1. n. 9. GVIDO  
PAPA quæst. 325. quanquam fortasse praxin fori recla-  
mantem invenias. CARPZ. Dec. 293. per tot. conf. DN. HORN.  
Class. 7. Respons. 43. per tot.

## §. IV.

Ad mortem damnatus vel in carcere vel in loco executioni destinato, moribus nostris secus ac quondam de jure civili, condere potest Testamentum, interim adhibere debet solennitates consuetas. His enim negle-  
ctis invalidum erit. Hinc ANTON. FAB. in Cod. L. 6.  
tit. 5. dec. 23. nullum pronunciat testamentum, quod  
factum coram Commentariensi in carcere præsentibus  
duobus testibus.

## §. V. Spe-

## §. V.

Specialem casum commemorat jamjam nominatus FAB. L. 6. tit. 5. d. 3. ubi quis Testamento suo adjece-  
rat clausulam derogatoriam, apposita nominariam causa,  
ut sibi prospiceret testator adversus periculum, quod  
videbat imminens futuræ abductionis in domum Sem-  
pronii, prævidens scilicet, fore, ut eo translatus aliud  
testamentum in favorem ejus facere cogeretur: Post  
tres quaruorve dies testator in domum Sempronii ab-  
ductus testamentum in favorem ejus condebat, testa-  
mentumque prius revocabat, hinc de validitate poste-  
rioris dubitabatur, & istas facti circumstantias, habita  
potissimum loci ratione, quod mutatio voluntatis in  
domo ipsius instituti facta magnam securæ coactionis  
& violentiae conjecturam præbuuisse, adeoque testa-  
mentum illud infirmasse, & hinc in senatu Sabaudiæ  
pro nullo declaratum fuisse pluribus circumstantiis  
recenset.

## §. VI.

Jure Canonico testamenta, quæ in loco privato,  
convocato presbytero & duobus testibus condita *Cap. IV.*  
*X. de Test.* firma decernuntur, adjecta egregia ratione  
(quales plures in Corpore Canonico hinc inde reperiri  
licet) quod in ore duorum vel trium testium stare de-  
beat omne verbum. At enim licet in fine dicti capi-  
tis comminatione anathematis prohibuerit Papa Ale-  
xander III. ne quis hujuſimodi testamenta rescindere  
audeat, neglecto tamen hoc fulmine, nullus dubito  
asserere, in Germania tale testamentum non valere.  
Nam in disponendis ultimis voluntatibus jus Romanum  
& imprimis **CONSTITUTIO MAXIMILIANI I.** ma-  
jorem

jorem meretur auctoritatem, donec specialis abrogatio  
doceatur. consent. D.N. HORN. *Class. 7. Resp. 26. n. 1.*

### §. VII.

*Donationes* s̄epissime in ædibus privatis suscipiuntur, nec judicis interventu opus est, nisi excedant quantitatem 500. solidorum, quo casu ap. Acta insuandæ L. pen. C. de *Donationibus Conf. Elect. 14. P. 2.* Illud tamen speciale in donatione geradæ extrajudiciali coram Notario & duobus tribusve testibus suscepta, quod claves in conspectu arcarum & cistarum, quibus res geradicæ continentur, vel res ipsæ donatario tradi debeant, alterutrum enim sufficiet. CARPZ. ad d. *Conf. def. 16.* & latius A NDR. GOLDBECK. de *jur. gerad. Cap. 7. memb. 3.* n. 83. seqq. quibus solennitatibus *Decif. Elect. 22.* jungit præsentiam curatoris. PHILIP. ad eandem. *Obs. 1.* Quod si mulier in lecto decumbat ad ædes suas ut judex veniat, petere potest; & si nomine judicis nonnullæ personæ deputantur, in earundem præsentia liberalitatem suam exercere quæ vi *confir. 14.* ejusdem efficaciæ habetur, ac si in loco judicii facta fuisset. Nam quæ in *articul. 65. Weichbild.* disposita, quod nempe ægrōtus ultra quinque solidos donare nequeat, usū non servantur, ac per constitutionem tanquam legem posteriorem abrogata. CARPZ. ad eandem *definit. 4.*

### §. VIII.

Dum allegata *Decif. Elect. 22.* absolute injungit necessitatem, quod curator circa donationem extrajudicialeм intervenire debeat, quæstio se nobis offert, an Notarius mulieri, quæ coram ipso donationem aut contratum aliquem celebrare intendit, posit ad hunc actum ipsi constituere Curatorem, hocque facto validitatem

B

con-

conciliare negotio, quod alias ex dispositione legum Saxoniarum invalidum irritumque foret? casus talis adhuc ventilatur in suprema Curia Provinciali Lipsiensi: vendiderat mater valde ægrotans filio suo adhuc impuberi geradam coram Notario & testibus, cum nec ipsa Curatore esset instructa, nec filius Tutore, deficentibus sensim viribus, ita ut sperare non liceret, fore ut copia judicis expectari posset, Notarius requisitus utrumque constituebat: defuncta postea venditrice, mater ejus petebat geradam a marito superstite coram Senatu Ileburgensi, reus provocabat ad instrumenta, alterum super tutoris curatorisque constitutione sub A. alterum vero super venditione geradæ sub B. confecta, quibus exceptionibus litis ingressum elidere, & jus agendi infringere intendebat, nec infelici primo successu, siquidem INCLUTA FACULTAS WITTEBERG. actis hoc transmisisis, astricti recognitionem documentorum injungebat, adjecta absolvitoria, Mens. Novembr.

1708. sequentem in modum:

Würde Kläger die producirten documenta sub A. & B. gebührend recognosciren/ inmassen ihm zuthun obz lieget/ so hat die Klage nicht statt. V. R. W.

Ast cum per modum appellationis ad supremam istam Curiam causa esset devoluta, meliorem fortunam experta est actrix. Nam neglectis documentis illis sequebatur reformatoria, ac tandem termino Trinitatis hujus anni condemnatoria, reo restitutionem rerum geradicarum mediante Inventario aut jurata specificacione injungens. Rationes, quæ ordinem Jctorum Witteberg. commoverunt, uberioris deduxerunt in Responso ad Consult. Joh. Christ. Scherzers zu Nengetzing Mens.

Mens. August. 1708. dato : cuius tenorem cum Lectori  
Benevolo exhibere intenderem invenio jamjam verbo-  
tenus typis impressum in D.N. WERNHERI Select. Obs.  
P. 1. Obs. 197. quorsum Lectorem Benevolum remitto.

## §. IX.

Non desunt rationes, quæ in utramque partem  
allegari possunt. Nam Notarii jurisdictionem aliquam  
sive notionem tribuit CARPOV. in Proc. Tit. 13. Art. 5.  
n. 76. & tit. 14. Artic. 5. num. 41. Decisio 201. n. 21. & Decisio 234.  
num. 24. Hinc quoque dicit eos irregulares tit. 2. artic. 3.  
n. 65. & judices chartularii appellantur in *Glossa Leg. fin. C.*  
*ubi & apud quem SCHILTER.* Ex. 7. §. 4. ulterius pergunt,  
Notariis in legibus concessam fuisse facultatem reci-  
piendi donationes, venditiones, aliosque quosvis contra-  
ctus, ergo non denegandum ipsis, ea adhibere media,  
quæ personas contrahentes habiles efficere queant, du-  
cto argumento ex generali principio, quod ei, cui fa-  
cultas data, ut coram ipso actus aliquis celebrari queat,  
simil omnia media ad eundem actum necessaria, quor-  
sum & curatoris constitutio respectu mulieris pertineat,  
concessa intelligentur, argumento *L. 2. ff. de Jurisdit.*  
Præsertim, cum sit saltem actus tractum temporis non  
requirens, sed qui cum negotio coram Notario cele-  
brato absolvatur & expiret, & eo magis esse excu-  
sandum Notarium, si periculum in mora, magisque  
laborandum pro conservando, quam infirmando con-  
tractu.

## §. X.

At enim vero negativa mihi verior videtur sen-  
tentia. Nam Notarii omnis plane jurisdictio HEROLD.  
*Conf. 34. n. 83. 87.* adeoque & voluntaria deneganda est:

B 2

CASP.

CASP. ZIEGLER. de *Jur. Majest.* Lib. I. cap. 26. §. 9. Qua  
igitur ratione quæso sibi vindicare poterunt jus con-  
stituendi Curatorem, qui ex dispositione *Decis.* 59. non  
nisi a magistratu dari potest, & quidem in genere ab  
ordinario, sub quo aut bona sita, aut ubi domicilium  
habet mulier, ad actum autem specialem a judice, sub  
quo aut possidet bona, aut ubi habitat, aut ubi contra-  
xit, aut ubi denique causa & lis ventilatur; quæ verba  
finalia excludere videntur alios quam commemoratos  
judices, multo magis exclusos censemus esse Notarios;  
Tutoris vero constitutio plane ab eo non admittenda,  
cum impuberibus per *Recess. Imper.* de anno 1577. art. 32.  
non aliter, quam a judice competente dari queant Tu-  
tores, ut proinde affirmare nullus dubitem, infirmum  
nullumque esse hujusmodi actum, talemque Notarium  
tanquam turbatorem jurisdictionis & usurpatorem au-  
toritatis judicialis considerandum, iisdemque remediis,  
quæ jure statuta & CARPZ. P. 1. *Const.* 32. *Def.* 27. & P. 2.  
*Const.* 7. *Def.* 12. nec non *MENOCHIUS de Arbitr.* *Jud.* L. 1.  
*Caf.* 320. per tot. recenset coercendum esse; quanquam in  
casu supra narrato Facultas Juridica Witteberg. Nota-  
rium ab omni poena immunem pronunciarit, quod Re-  
sponsum recenset Dn. WERNHER. dict. *Obs.* 179.

## §. XI.

Reliqui *contractus* omnes extrajudicialiter & quocun-  
que in loco privato quocunque etiam tempore valide  
celebrantur, & quamvis Notarius in specie in ordina-  
tione Maximiliani de anno 1512. §. ult. prohibetur, ne  
tempore nocturno instrumentum super negotio in loco  
privato celebrato conficiat, Praxis tamen quotidiana  
contrarium docet, & negotium accenso uno lumine  
com-

commodè perfici posse, nec opus ut tria lumina accendantur, comprobatur, frustra enim provocatur ad L. i. §. 10. de ventre inspicio, quippe quæ de casu dicit specia-  
lissimo. conf. B. STRYK. Cautel. Contr. Sect. i. Cap. 4. §. 14.  
*Ripa de nocturn. temp. cap. 113.* Sed hæc incidenter.

## §. XII.

Judex quicquid in loco judicij an gewöhnlicher Ge-  
richts-Stelle agit, firmiter gestum habetur, neque ab  
Assessoribus impugnari potest, nisi manifeste sit ini-  
quum, requirit tamen Decis. Elect. 45. præsentiam Actua-  
rii, actus proinde extra locum judicij & in loco privato  
pro actu privato repurandus. HEROLD. *de Ratif. p.m. 432. n. 2.*  
Nam judex non sedens pro tribunal intervenire dicitur  
ut privatus nec ejus expediri coram actis dici potest.

## §. XIII.

Actuarii vi juramenti, quo circa initium officii ad-  
stringuntur, tenentur omnia, quæ in judicio, præsen-  
te Judice & Assessoribus peraguntur, fideliter ad Acta  
annotare O. P. S. tit. 2. verb. in beysein der Gerichts-Pe-  
sonen; BERLICH. P. 1. *Conclus. 8. n. 24.* pro qua registra-  
tura postmodum præsumtio veritatis militat, tanti ta-  
men non est, ut contrarii probationem excludat. D. N.  
HORN. *Class. 12. R. sp. 112. n. 6.* Nil ergo vetat juramenti  
delationem, quo minus admittamus, ut in apricum ve-  
ritas producatur. D. N. WERNHER. P. 1. *Obs. 12.* imprimis  
in registratura locum exprimere tenentur, quo con-  
stet, an in loco judicij, an extra judicium aliquid per-  
actum, ut exinde judicari possit, annon actus ob loci  
qualitatem existat vitiosus MARTINI ad O. P. S. tit. 2. §. 2.  
num. 75. inde absentiis Assessoribus & Judice in loco  
privato confessæ registraturæ penitus improbandæ nul-  
lamque

Iamque fidem merentur Dn. WERNHER. P. 1. obs. 1.  
ita Dn. Scabini Lipsienses Mens. Junio 1705. an den Ober-  
Amtmann zu Bittenberg in causa Hans Böttchers  
contra Bodo Dietrichen von Alvensleben ubi inter alia  
in Rat. decid.

Da aber doch des Gerichts-Verwalters ohne bey-  
sehn der Schöppen gefertigten Registraturen kein  
Glaube beygeleget wird/ noch solche vor gerichtliche  
zu achten. ic.

Hinc Actuarii vel Directores, quibus a Nobilibus com-  
missa jurisdictionis patrimonialis administratio in domo  
privata & ædibus extra locum jurisdictionis constitutis,  
Actus jurisdictionis contentioſæ v. g. einen Gerichts-  
Tag halten / expedire & causas tractare nequeunt ; sed  
potius omnia in tali loco privato acta gestaque pro in-  
validis ac ipso jure nullis declarari debent, sicuti enim  
jurisdicſio finibus suis circumscribitur, ultra quos vim  
suam haud porrigit, ita etiam actus extra terminos  
ejus exerciti omni effectu destituuntur Dn. WERNHER.  
P. 1. Obs. 118. quod præjudicio Dnn. Scabinorum Lipsien-  
sium comprobat Dn. RIVINUS, VENERANDUS  
MAXIME PATRUUS MEUS in Enunciatis ad O.P.S. tit. 2.  
Enunc. 6. Quamvis etiam hac in parte partes litigantes  
connivere velint, cum neque consensu partium Acta  
extra limites jurisdictionis confecta sustineri queat Dn.  
BERGER. Discept. Forens. Tit. 2. Observ. 3. & Dn. WERNHER.  
P. 1. Obs. 329.

#### §. XIV.

Cum igitur Actus jurisdictionis contentioſæ eo in  
loco expediri debeant, ubi Judicii competit Jurisdicſio  
prono alveo fluit, quod si Nobilis duo possideat Feuda  
vicina

vicina in Territorio Electorali, unum ex investitura Potentissimi Electoris Saxoniæ, alterum ex investitura Serenissimorum Ducum, tanquam administratorum Episcopatum Martisburgensis & Naumburgensis, subditos suos ex utroque pago evocare nequeat, ut coram uno, eodemque judicii Actuario conjunctim causæ tractentur. Exinde enim maxime metuenda jurisdictionum confusio, neque incommoditas illa ex separati Actuarii constitutione in quolibet pago redundans, justam excusationis causam præbere potest. Nam cum commodis jurisdictionis fruatur, non iniquum, ut etiam ferat onera, interim si inveterata consuetudine immemorialique præscriptione aliud sit introductum, defendendus merito erit Nobilis, adjecto hoc moderamine, ut si a sententia gravante subditi alterius pagi provocare velint, dirigenda sit appellatio ad sui pagi judicem immediate superioriem, non statim ad Potentissimum, ne ipsis ista quasi instantia adimatur; observarunt hunc pronuncian-  
di modum Dnn. Scabini Lipsiens. apud Dn. RIVIN.  
Emunc. 7. tit. 2. quibus jungimus Responsum Facult. Jurid.  
Lipf. Mens. Aprili 1701. ad interrogationem N. N. versus  
Tusculanum datum:

Hat Cajus ein in Titii Territorio gelegenes Ritter-Guth Tusculanum genannt / darzu unterschiedene Dorffschafften gehören / welche insgesamt seines Gerichtsbarkeit / im übrigen aber was die Landes-Herrschaft betrifft / theils gedachten Tilio, theils Sempronio unterworffen / und wiewohl er nun bisher die Gerichtsbarkeit ohne Unterscheid bei allen Dorffschafften auf dem Ritter-Guthe Tusculanum ruhig exerciret / so will doch solches Sempronii Regierung

gierung weiter nicht gestatten / sondern verlanget / daß die Unterthanen derer in diesem Lande gelegenen Dorffschaften nicht weniger in denen fürfälenden Gerichts-Sachen auf das Guth Tusculanum citiret / sondern vielmehr die Jurisdictionalia in denselben ausgeübet / und exerciret werden solten / und ihr wollet / ob er dazu mit Bestande anzuhalten / berichtet seyn.

Ob nun wohl ein Gerichts-Herr die Gerichts-Actus an demjenigen Orthe / wo ihm die Jurisdiction zustehet / expediren / auch wenn er unterschiedene Gerichte hat / solche nicht unter einander vermengen soll / und die vom Cajo diffalls angegebene Beschwerlichkeit / daß er füglich einen Gerichts-Verwalter in einem jeden Dorfe halten / noch dem auff dem Ritter-Guth befindlichen jedesmahl bey geringen Sachen auff die Dörffer des andern Territorii abschicken könne / keine Entschuldigung geben mag / immassen ihm dieses als ein Onus Jurisdictionis zu thun oblieget.

D. a. u. d. dem Berichte nach nicht allein die unter Sempronium gehörende Dörfer ins Ritter-Guth Tusculanum dergestalt gehören / daß die Gerichtsharkeit denselben darüber zustehet / sondern auch es von undenklichen Jahren her jederzeit also gehalten worden / daß Caius daselbst die Gerichts-Actus über alle desselben Dorffschaften ohne Unterscheid exerciret.

So ist dieser dabei nochmals billig zu lassen / und ihm / daß er seine gesamte Unterthanen vor die daselbst habende Gerichte noch ferner citire nicht zu verwehren. V. R. W.

§. XV.

## §. XV.

Advocati Clientum jura in judicio oretenus deducere tenentur, nec permittendum ipsis, ut acta publica, præsertim criminalia, ad se recipiant, aut in ædibus privatis positiones ad acta dicitent, sic in *Ord. Cur. Proc. Jenens. Cap. 28.* expresse dispositum, daß das Versegen in der gewöhnlichen und darzu verordneten Hoff=Gerichts=Stuben geschehen solle / & in Elect. Saxon. in Resolut. gravam. de anno 1653. & 1657. tit. Von Justitien=Sachen. §. 32. actuariis simpliciter interdictum, positiones ad acta consignare in Advocatorum ædibus, verbis seqq.

Ingleichen sollen in allen Aemptern und Städten geschickte und fleißige Actuarii angenommen und vereydet werden / welche die rechtliche Gesetze jedes mahl in der Versez- oder Gerichts-Stube/ nicht aber in der Advocaten Häuser / wie bishero nicht ohne mercliche protrahirung der Processe geschehen/ einbringen lassen.

Quod etiam in supremo Appellationum, quod Dresdæ viget, judicio observatur, ubi repetitis vicibus sub certa pecuniaria pena prohibentur Advocati, quo minus ad ædes suas privatas acta judicialia sumant, ex quo sponte fluit supervacaneam esse quæstionem : an Advocatus ratione expensarum ipsi debitaram in Actis publicis exercere queat jus retentionis. Nam si ne quidem domi habere potest acta, sed ob legis prohibitionem in actu versatur illicito, quomodo quæsto indulgenda ipsi retentio, cum exhiberi reipublicæ semper intersit, & potior semper esse debeat publicæ utilitatis causa, quam privatæ , cum potius mulcta insuper affici queant, hoc

C tentan-

tentantes. CARPZ. P. 2. Conf. 25. def. 33. pertinet hinc  
Dn. Troppannegeri *Dissert.* de eadem materia Lipsiae habita.

## §. XVI.

Pariter in loco judicij procuratores aut partes te-  
nentur nomina sua profiteri; (sich angeben) nec sufficit,  
si fortasse in ædibus Actuariorum privatis id peregerint,  
imprimis in supremo provocationum judicio Dresdensi,  
ubi præcise coram secretario in Cancellaria fieri debet,  
alias positio in pronunciando, licet vel maxime in die  
termini oblata fuerit, non attenditur, sed potius justi-  
ficationes appellationum, aut prosecutions Leuterati-  
onum pro desertis cum refusione expensarum haben-  
tur. Dn. RIVIN. tit. 3. Enunc. 19. & Enunc. 74. tit. 10.

## §. XVII.

Nullus de jure quondam civili de domo sua in jus  
vocari, aut domo sua extrahi poterat, L. 21. ff. de in jus  
vocand. L. 103. ff. de R. J. Quia domus, tutissimum cui-  
que refugium, atque receptaculum, censebatur, & con-  
tra faciens vim inferre dicebatur, L. 18. ff. de in jus voc.  
quod tamen a vinea, balneo, & theatro licebat. L. 20. ff.  
eod. Hodie vero citatio ad domum valide insinuari po-  
test, cum non ad Judiciales actus pertineat, sed sit ex-  
trajudicialis Dn. WERNHER. P. 1. Obs. 234. n. 3. modo  
constet, quod data fuerit, aut citando, aut citandi dome-  
sticis v. g. uxori, FABER. Lib. 2. T. 20. d. 7. Nam si in-  
sinuatio facta ei, qui saltem, ut conductor inhabitat æ-  
des pro invalida reputanda Dn. RIVIN. T. 4. Enunc. 1.  
idem afferendum, si ad domum hæreditariam insinue-  
tur citatio, nemine cohæredum, sed conductore extra-  
neo in ea existente. Enunc. 2. Contra, quando rei, con-  
venti actione personali in loco contractus, alibi habeant  
domi-

domicilia, citatio ad domum hæreditariam fieri nequit, *Enunc. 9.* neque ad domum curatoris actoris, mandatarii, aut Advocati citatio insinuata sortitur effectum; hinc emanente parte citata, frustra ejus accusatur contumacia, *Enunc. 10.* quare merito Advocati circumspete agere debent, ne præcoci contumaciæ accusatione & temporis & expensarum jacturam contrahant clientibus. *Enunc. 10.* At speciale quid obtinet in curia Mercatorum Lipsiensi, ubi pendente processu per expressam dispositionem *Ordin. Mercat. tit. 6. in fin.* illis recte insinuatur quælibet, etiam summi præjudicij actum injungens citationio. Filiofamilias in domo paterna tradi etiam potest citatio *Enunc. 21.* & si excipiat filius se tempore insinuatæ citationis non adfuisse in ædibus paternis ipsi asserti sui demonstratio injungi solet, ita relatum accepi, pronunciatum fuisse hoc anno in Consistorio Lipsiens. in causa Annen Marien Schillingin/ contra Ægid. Dreyhaupten. Si Senatus oppidanus in jus vocandus, insinuatio citationis commode fieri potest, ad domum Consul's regentis. *Enunc. 23.* quemadmodum in pagis ad dominum Sculteti non tamen Syndici Universitatis insinuanda est. citationio *Enunc. 24.*

### §. XVIII.

Quotiescumque quis alienæ jurisdictioni subjacet, non immediate citationis insinuatio peragenda, sed in subsidium juris per requisitionem juris alter implorandus est judex, ut tradi curet citationem citando. Detestantur enim iura judicem alterius jurisdictionem turbantern. *L. ult. C. Unde vi. L. 23. C. de testibus. CARPZ. P. 1. const. 2. d. 27. BERLICH. P. 1. Conclus. 10. & 11.* Quod si personæ Clericorum ad secularem Judicem evocandæ, non sufficit

C e

ficit immediate ipsis insinuatam esse citationem. *Enunc. 37.*  
 In hypothecaria tamen, aut alia reali in fundum, tanquam objectum actionis, citatio recte insinuatur, etiam si judex personæ ordinarius non fuerit requisitus, *Enunc. 29.*  
 nisi forte citandus alio in loco degat, & saltem in aedibus suis conductorem reliquerit. Tunc enim subfidalis citatio itidem locum sibi vindicat. *Enunc. 31.*

### §. XIX.

Per oblationem libelli judiciale interrumpi præscriptionem notum est, & regulariter in judicio præsentandum esse. *BERLICH. P. I. Concl. 12. n. 1.* Quod si vero quis actione injuriarum, quæ annuali spatio terminatur, ultimo die, clausis jamjam judicij foribus, aliquem convenire velit, sicque necessitate urgente judici in aedibus privatis offerat libellum, existimarem frustra a reo provocari ad præscriptionis exceptionem, cum injuriatus, animum vindicandi injurias, legitimo jamjam modo declaraverit. *Quo loco notandum, juxta Ordin. Cambial. Lips. §. 32.* requiri, ut creditor ex literis Cambialibus, intra annum actionem in judicium proponere debeat, nisi malit exceptionem præscriptionis sibi obesse. Quod si itaque creditor protestatione Notarii sibi prospexerit, anne eundem effectum habebit? quod sane negandum. Nam quandocunque actus judicialis requiritur, per extrajudiciale adimpleri nequit, quam quoque sententiam licet ante paucos adhuc annos Dnn. Scabini Lipsienses contrarium defenderint, his diebus in praxi observari audio.

### §. XX.

*Mulieres non aliter habent personam standi in judicio, quam si instructæ curatoribus comparent.* *Conf. El. 15.*

*P. 2.*

P. 2. in negotiis vero extrajudicialibus, sive concernant bona immobilia, sive mobilia, consentiente Marito valide tractant, quod si tamen fœmina sibi in genere curatorem ad litem constitui curaverit, hic consilium una adhibere tenetur. *Decis. Elect. 24. D.N. RIVINUS' Enunc.*

34. T. 8. quo loco insimul notandum, constitutionem Curatoris mulieris regulariter fieri debere in loco judicii, quamvis plus quam vice simplici evenire soleat, ut suscipiatur in ædibus judicis privatis, si scilicet certi tantum dies ad confessum judiciale determinati, prout coram Rectoribus Academiæ Lipsiensis saepius factum esse exemplis convictus sum.

§. XXI.

*Contumax frustra dicitur ille, cui non rite facta insinuatio, hinc cum citatio amanuensi quidem esset insinuata, sed non appareret ex relatione nuncii, ad domum factam, ad legitima impedimenta reum condemnari non potuisse recenset. D.N. RIVIN. Enunc. 63. t. 10.* pariter frustra accusatur contumacia ejus, qui ad ædes Judicis privatas vocatus non comparuit. Ejusmodi enim casu pronunciari solet :

Dass die angebracht Ungehorsams-Beschuldigung nicht statt hat / es mögen auch die Partheyen zu Vermeydung der daraus entstehenden Nullitäten in eure Privat-Behausung mit Bestande nicht vorge laden werden.

qualia præjudicia exhibet. *D.N. RIVIN. Enunc. 7. t. 2.*

§. XXII.

*Gvrranda, cujus præstandi necessitas Jure Saxonico cuiilibet Actori incumbit, actu corporali, & quidem vel tacto baculo, vel, si sit honoratior, stipulata manu*

C 3

in

in judicio est praestanda. Extrajudicialis enim aut verbis saltem in positione facta, pro non facta habetur, nec impedit juramenti delationem. D. N. WERNHER. P. 1.  
Obs. 58. Quamvis usu saepe recedatur & in privato ridiculisque saepe gesticulationibus Actuariis praefteritur, quam leui casum quo quis more Metallicorum (auff gut Bergmannisch) praetori porrexerat pollicem recenset. D. RIVIN. Enunc. 8. t. 12. Quamvis exoptandum foret, ut modus iste propomodum supervacaneus abrogaretur, sicuti incluti status Provinciales anno 1699. de revidenda ordinatione processus judicialii in comitia vocati, inter alia commonuerunt referente D. N. BERGER. Discept. Forens. t. 12, 13. obs. 1. n. 1.

## §. XXIII.

Pariter cautio pro reconventione & expensis non satis praestita dicitur, licet cayens schedulam fideiustoriam in ædibus suis subscripterit, sed insuper necesse habet, ut in loco judicij manum sigillumye suum recognoscatur.

## §. XXIV.

*Litis denunciatio* in judicio proponenda & autori copiæ eorum, quæ hactenus peracta communicandæ. Extrajudicialis itaque interpellatio nullum sortitur effectum, MARTIN. ad O. P. S. t. 4. §. 3. n. 19. 21. 23. Nisi fortasse ita inter partes expresle conventum. Cautela igitur, ut in instrumento verba adjiciantur :

Dafern auch ein Käuffer von jemand / wegen des verkauften Grundstücks in rechtlichen Anspruch genommen werden solte / will er Käuffer gehalten seyn / auff blosses aussergerichtliches Ankündigen Käuffern zu vertreten / und soll dergleichen Extrajudicial-

509.

judicial-Aus sagen eben denjenigen Effect haben/ als ob eine ordentliche und sonst gewöhnliche Denunciation erfolget wäre.

Confer, D N. R I V I N. Enunc. 8. T. 14.

S. XX V.

Dum extrajudicialis litis denunciationis mentionem injicio , huc etiam pertinet extrajudicialis interpellatio , quam insufficientem ad interrumendum cursum usurarum, pronunciamus, ergo judiciali depositione opus erit ; quanquam in ædibus privatis factæ numerorum obsignationi omnis plane vis ac potestas denganda non videatur ; Si enim adhibito Notario & testibus pecuniam obsignari curaverit, aut denique juramento confirmet debitor, se in usus suos non convertisse, sed in natura adhuc extare pecuniam, durum foret eum ad exsolvendas usuras adigere.

S. XX VI.

*Juramentum* dividitur in judiciale & extrajudiciale; posterius quounque in loco ex conventione partiam præstari potest L. 17. ff. de Jurej. At posterius præstandum est in loco judicij coram quo causa ventilatur D N. R I V I N. Enunc. 46. t. 18. & quidem in Curia Provinciali Consistorioque Lipsiens. in consessu Assessorum aperris undique judicij valvis, nec facile nisi ob fonticas causas in loco domicilii admittitur Enunc. 40. nec immerito. Judex enim ex vultu juraturi auctoritae sua perturbati colligere potest animum pejeraturum, F A B E R. Cod. lib. 4. t. 1. d. 31. At jamjam jure civili ad personas egregias ( quæ quales sint, sicut Menochius de Arbitr. Jud. lib. 2. Cent. 1. Cap. 70. ) easque, quæ valetudine impediabantur, domum mitti oportebat judicem, ut audiret juraturas , L. 15. ff. de jurejur.

*jurejur. L. 2. §. 1. C. de jurej. prop. cal. auth. principalis. §. 2. C. eod.*  
 quod nempe si juratus ob adversam valetudinem impediatur, aut privilegio quodam de non comparendo, quale foeminæ honoratores habere volunt, fruatur, iudex vel ipse ad eum locum privatum accedat, sive in loco privato, præsentibus personis judicialibus, & parte adversa juretur. D N. HORN. *Class. 12. Respons. 34.* quod etiam in foro nostro quotidie observari videmus; sic, ut infinita alia exempla raseam, in causa J. G. R. contra J. J. G. cum Actor Consiliarii Regi dignitatem subiret, idem in causa D. W. contra R. C. quæ senatoris vidua erat, deputatum unum cum Actuario a judicio Mercatorio, & prætorio Lipsiensi ad accipendum juramentum alegatos ex actis exhibitis vidi. In supremo Appellationum Judicio Dresdensi & Curiis Provincialibus personæ illustres, in quorum censum Barones etiam referendi, non in publico, sed separatim in conclavi peculiari jurare solent per verba expressa O. P. S. T. 18.  
*s. final.*

Jedoch sollen von illustribus personis, darunter wir auch Grafen und Freyherrn wollen verstanden haben / die Eyde in unsern Hoff-Gerichten nicht in publico, sondern in denen Audienz-Stuben geleistet werden;

CARPZ. ad Proc. tit. II. Artic. 3. num. 191. seqq. BERLICH.  
 P. I. Conclus. 34. num. 14. 15. MARTIN. ad Ord. Proceff. tit. 19.  
 §. 10. num. 40.

### §. XXVII.

Ante aliquot annos notabilem huc etiam pertinentem casum accidisse audivi, in causa scil. denunciationis inquisito S. K. juramentum purgatorium adhibito Clerico

rico injungebatur, ad quod præstandum incarceratus etiam erat quam paratisimus: At cum die, præcedente diem, juramento præstanto, destinatum Clericus in custodia admoneret inquisitum simplicissimum, ipsique ex verbis sententia hunc in modum conceptis:

*Er thue nun solches oder nicht / so ergehet doch seiner Bestraffung halber und sonst in der Sache ferner was recht ist.*

dederet, quod licet vel maxime actu corporali præstaret juramentum, non tamen esset absolvendus, sed potius poenæ adhuc expositus. Ille hoc fulmine perterritus vincula effugiebat, ac coram Notario & testibus in loco privato purgatorium secundum formulam judicialiter conceptam præstabat, judicique transmittebat instrumentum desuper confectum. Actis itaque ad Facultatem Jurid. Lipsiensem transmissis, actum quidem illum pro irrito nulloque declarabant; nihilominus tamen concessu illi generali salvo conductu ad præstatu-  
nem in loco judicij denuo admittendum eum pronun-  
ciabant ad consult. directoris Judicij *zu G.*

### §. XXVII.

Alium haud ita pridem casum hoc spectantem ex ipsis actis J. G. B. mercatoris extranei contra J. W. D. coram judicio mercatorio Lipsiensi ventilatis vidi: Reus actori super nonnullis articulis contrariae demonstrationis juramentum detulerat, actor ea de re adjunctis copiis a mandatario suo certior factus, statim judicem suum ordinarium adibat, juramentumque præstabat: magno cum suo detimento; Siquidem non modo nullum inde sentiebat emolummentum, sed etiam Dnn. Scab. Lips. Mens. August. hujus anni ipsi injungebant necessi-  
tatem

D

tatem juramentum præstanti coram Judicio Mercatorio Lipsiensi, licet eventualiter admissionem coram judice domicilii petiisset. Nam juramentum pendente processu nec extrajudicialiter, nec in loco privato præstari potest, quorsum etiam referendus est locus extra-nei judicii, coram quo lis non pendet CARPZ. ad Proc. t.2. art. 2. n.1. Tale quoque exemplum perquam notable de fruстрaneo juramento diffessionis adversa parte non consentiente coram Notario extra judicium & in loco privato præstito, recenset DN. WERNHER. P. II. obs. 436. Quo loco in simul provoco ad DN. RIVIN. Enunc. 150. t. 18. clandestinam & in ædibus privatis post elapsum fatale oblationis ad jurandum factam suppositionem ad acta, animadversione dignam censens.

### §. XXIX.

*Probatio certis Articulis inclusa in judicio intra fatale exhibenda;* non igitur sufficit oblato, aut documentorum productio intra terminum extrajudicialiter facta, DN. RIVIN. Enunc. 138. T. 20. *Quod si tamen Actuario in ædibus, vel judici oblata & præsentanda ab eodem fuerit, frustra de desertione excipiet pars adversa;* quod etiam afferendum, si Advocatus semel Secretario Judicij Articulos probatoriales cum specificatione documentorum dederit, prout in chartam conjecerat adscriptoque præsentato iterum se cum abstulerit, ut domi nitidius describantur. Hinc in supremo Appellationum Judicio reo eandem ob causam desertionem urgenti recognitionem sub consveta comminacione injunxisse commemorat. DN. RIVIN. Enunc. 15. T. 20.

### §. XXX.

§. XXX.

*Dilatio probanti, a Judice conceditur, etiam in ædibus privatis versante; Actuarius tamen cum tantum sit persona ministerialis, hac facultate non gaudet, L. 4. C. de dilat. nec ejus desuper confecta registratura meretur effectum, CARPZ. Proc. t. 15. Art. 1. n. 159. DN. HORN. Class. 12. Respons. 86. n. 3. & 4.*

§. XXXI.

In termino præfixo probaturus sub pœna deser-  
tionis comparere debet, præsupponimus tamen hic rur-  
sus rite insinuatam fuisse citationem. Nam si citatio  
in forma patente ad domum probaturi eo absente insi-  
nuata fuerit, probatio non statim pro deserta haberri  
poterit, sed si is jurato assereret velit, citationem nun-  
quam ad ipsius notitiam pervenisse, mediante interlocu-  
toria ad juramentum admittitur, DN. RIVIN. Enunc.

27. T. 4.

§. XXXII.

*Rotuli testimoniū in loco privato coram Notario con-  
fecti sine effectu cum Articulis probatorialibus indu-  
cuntur, nec sunt recognoscendi, imo si fortasse per erro-  
rem recognoverit productus, in pronunciando plane præ-  
teriri solent, DN. RIVIN. Enunc. 32. t. 20. Quod tamen  
saltem obtinet in solenni probatione, injuncta enim de-  
monstratione, hæc per rotulos judiciales expediri vali-  
de potest. DN. RIVIN. Enunc. 35. t. 20. Quod tota die  
potissimum in possessorio summarissimo evenire depre-  
hendimus, quid quod olim ad Acta v. g. in possessio-  
rio Judicio oblata etiam valent contra producentem in-*

D 2                      perito-

petitorio. Dn. BERGER. *Discept. For. t. 20. Obj. 2. n. 9.* At in probatione ordinaria Notarius neque consentientibus partibus in loco privato excipere potest testes, nec juramentum eorum, sine judicis commissione: ubi insimul monendum magistratum inferiorem civibus suis inhibere non posse, si velint testimonium dicere coram Notario in loco privato uti confirmat, Dn. RIVIN. *Enunc. 39. t. 20.*

### §. XXXIII.

*Interrogatoria* non deneganda productio, quin quoque ad eadem danda citandus; exhibenda tamen in loco judicii; quod si igitur Advocatus extrajudicialiter obtulerit Actuario, valide de iis desertis excipere posse producentem, testesque nequaquam super iis examinandos certum est; qua de re praecclare Dn. RIVIN. *Enunc. 44. T. 20.*

### §. XXXIV.

*Testes* in judicio producendi ibidemque examinandi; attamen, *Nov. 124. Cap. 1.* constitutum legimus, quod si mulier propter honestam vitam extraneis viris se monstrare detrectet, tunc ex officio mittendos esse, qui sacramenta suscipiant, parem in modum interdictum etiam, *Nov. 123. Cap. 7.* ne judex Episcopos, qui Dei amabiles ibidem appellantur, ad judicium venire cogat pro exhibendo testimonio; sed ut mittat ad eos quasdam ex personis ministrantibus sibi; ut propositis sanctis Evangelii secundum quo decet sacerdotes, dicant, quae noverint. Hinc sancta est, autb. sed judex. *C. de Episc.* Quod commovit Dd. quam plurimos, ut Clericos a præstatione consueti juramenti testium immunes dixerint; sed quoniam remissio juramenti in *Nov. tan-* quam

quam fonte unde *auth.* desumpta non deprehenditur, ergo nullam probandi vim nec juris vigorem habet. RICHTER. ad dict. auth. n. 3. & hodie fides pastoralis tanta vix est, ut se subducere valeant juratae depositio- ni, quanquam aliud visum fuerit Facultati Gieffensi, cuius rationes congesit D. N. RIVIN. Enunc. 40. t. 22. it. B. SCHWENDEND. ad Fibig. p. m. 1446. Denique ab æ- grotis in propriis ædibus locoque privato præstari ju- ramentum testium sufficit, quam etiam sententiam di- ferte approbat *Jus Canonicum*, Cap. II<sup>X</sup>. X. d. test. ubi in- quirit Pontifex: *Si qui testimoniū valetudinarii sunt, vel debili- tate confecti, ita ut non possint ad vestram presentiam adduci, ad ipsos recipiendos mittatis personas idoneas & discretas,* D. N. BERGER. Disp. XVI. de Privil. Egrot. Cap. IV. Thes. 12. Advocati qui in causa patrocinium præstant ipso jure liberantur a dicendo testimonio; quod si vero ad ne- gotia saltem extrajudicialia, & in locis privatis suscep- ptis adhibeantur, privilegio hoc non gaudent, sed tan- quam Proxenetæ ad dicendum testimonium adhiberi possunt, qua de re evolvere licet D. N. RIVIN. Enunc. 26. tit. 22.

### §. XXXV.

*Documenta, quorum recognitio petitur, originaliter* sunt producenda, nam si quis copiam saltem a Notario vidimatam exhibeat, neutiquam originali æquiparan- da, licet vel maxime deperditum fuerit originale, hinc productus ad ejusdem recognitionem adigi vix potest: Siquidem pars vitia visibilia deprehendere potest, quæ non animadvertere potuit Notarius. D. N. RIVIN. Enunc. 10. t. 25. Si in lingua Italica, Gallica, aut alia peregrina documenta scripta fuerint, in vernaculam transferen-

D 3 da,

da, & quidem per interpretem judicialiter juratum. Nam extrajudicialis translatio hac in parte vix sufficiens videtur D.N. RIVIN. *Enunc.* n. tit. 25. Recognitio vero regulariter in loco judicij fieri debet, nisi senectus, adversa valetudo, personæ dignitas, vel sexus ratio aliud svadeat; hinc foeminam coram Notario Judicij in domo ex concessione iudicis recognoscere posse perhibet B. SCHWENDEND. *ad Fibig. p. m. 715.* Quamvis hoc casu per procuratorem aut actorem recognitio peragi, (uti ego quidem arbitror,) commode satis possit.

### §. XXXVI.

Diffessio tamen documentorum, quæ intelligitur concessa, licet recognitio injuncta fuerit, in omnibus instrumentis extrajudicialiter & in loco privato factis locum sibi vindicat; Secus in judicialibus, quæ nunquam subjacent diffessioni, sed pure recognoscenda, ut igitur privata documenta, transactionis aliquae contractus in scripturam redacti eandem vim consequantur, cautela est, ut judicialiter confirmentur. Semel enim in judicio recogniti pro publicis habentur D.N. RIVIN. *Enunc.* 36. tit. 25.

### §. XXXVII.

*Editio documentorum* in loco judicij fieri debet, nec audiendus quis eam in loco privato offerens, & quidem originalia, non copiæ extrajudicialiter confectæ, declinare tamen potest is, cui editio cum recognitione incumbit, si pro editis habere copiamque pro originali recognoscere velit; prospiciat tamen mandatarius sibi de speciali desuper mandato, alias certo certius sub præjudicio editio injungitur, aut si in altero termino  
hujus-

hujusmodi declaratio absque sufficienti mandato facta fuerit, documentum habebitur pro edito & recognito.  
DOMINA RIVIN. Enunc. 33. t. 26.

### §. XXXVIII.

*Examen testium ad perpetuam rei memoriam s<sup>e</sup>pius in loco privato suscipitur, cum non aliter iudex istud suspicere debeat, quam si probaturus allegare posset causas, quod testes sint valetudinarii aut senio confecti, quos ordo naturae ad mortem vocare solet DOMINA RIVIN. Enunc. 2. t. 27. ne actor ipsis defunctis probatione sua cadat, aut certe difficilior ipse reddatur.*

### §. XXXIX.

*Oculares inspectiones si lis sit de finibus, si milliarum mensuratio, aut terminorum investigatio instituenda, ut plurimum in locis privatis convocatis tamen legitime partibus peraguntur, quod si omissum, non subsistunt. Enunc. 2. T. 28. Quibus modis annumerare velim terminorum explorationem per virgulam divinariam, quae in districtu Stolbergensi ante hos septem annos suscepta & approbata a Potentissimo Rege nostro mediante Rescripto, nec non circa decisionem causae a Dnn. Scabinis Lipsiensibus refertur a DOMINA RIVIN. Enunc. 8. t. 38.*

### §. XL.

*Suppletorium injungere solet iudex si aut semiplene probatum aut in defectu probationis fortiores saltem adsint probationes, quae iudicem religiosum ad ejus injunctionem commovere queant. DOMINA RIVIN. Enunc. 1. t. 30. vix tamen depositio testis de confessione extrajudiciali*

diciali locum relinquit huic juramento, qua in re Facult. Jurid. & Scabinos Lips. consentientes videmus in Respons. Enunc. 7. allegato.

### §. XLI.

*ri eni* Sententia Jure Romano a judice in loco judicij pro tribunali sedente publicandæ, & partibus prælegendæ erant. At hodie partibus ab Actuariis copiæ exsolutis primo sportulis exhibentur, publicatio tamen sententiæ aut decreti in domo aut alio loco privato sub alia Jurisdictione sita fieri nequit, attentanda potius venit nullitatis exceptio, nec vires rei judicatæ consequitur Dn. WERNHER. P. I. Obs. 329. n. 10. Hinc irritam sententiam, quæ in loco secreto, id est, tibi officio non fungitur, datam neque præjudicium exinde generandum dicit, L. 6. C. de Sent. & Interl. Ita cum Actuarius judicij AbtNaundorffensis, Lipsiæ cause cognitionem suscepisset, ac decretum publicasset, nulli dubitarunt Dnn. Scabini Lipsienses actum istum pro nullo declarare, referente Dn. RIVIN. Enunc. 8. t. 2.

### §. XLII.

Gravatus sententia aut decreto uti poterit intra decendum remediis suspensivis & devolutivis, puta Leuteratione & Appellatione, quæ in loco privato & extra-judicialiter conceptræ in loco judicij judici gravanti offerendæ ; speciale tamen obtinet in causis Metallicis, quippe in quibus argumento Ordin. Metall. & imprimis mandat. Elect. de anno 1609. remedia ista stante pede fieri debent, nec in scriptis admittuntur Enunc. 2. t. 35. Interim nil prohibet alias easdem in ædibus judicis exhiberi, imo

imo Senatus Lipsiensis ad consuetudinem provocat, vi cuius omnes schedulæ appellationis ad domum Consulū regentis vel si coram prætorio causa ventilatur prætoris insinuari debeant. At an ista consuetudo omnibus iustis requisitis, quæ ad consuetudinem pertinent, gaudeat, meum non est inquirere.

### §. XLIII.

*Prosecutiones Leuterationum* oretenus in loco judicij faciendæ, nec sufficit easdem domi in chartam conjicerē schedulamque ad acta describendam mittere. Namque operabitur desertionem ac Leuterans condemnabitur in expensas retardati processus. *Enum. 50. t. 35.*

### §. XLIV.

Leuterations & appellations etiam extrajudicia-liter & in loco privato coram Notario & testibus interponi possunt. Si judicis & Assessorum copia haberi nequeat; cum tamen quam plurimi emergere queant abusus, Jure Elect. Saxon. §. 30. Resolut. Gravam. de anno 1653. & 1657. tit. von Justitiæ Sachen / non aliter admissibiles, quam si appellans demonstret a judice superiore sibi denegatos fuisse Apostolos, alias plane earundem usus improbatus CARPZ. P. I. Conflit. 20. def. 2. 3. BERLICH. P. I. Conclus. 50. n. 56. Apostoli tamen in termino præfixo in Actuarii ædibus aut alio loco privato redimere integrum erit. At renunciatio Appellationis extra judicium in loco privato facta non impedit desertionem. ANT. F. A. BER. Lib. 7. t. 27. d. 4.

### §. XLV.

*Executionis actus imprimis immisso* in loco extrajudiciali

E

dicali

diciali & privato nempe debitoris peragitur, *Licitatio*,  
 vero fieri debet in loco judicij *Philipp. de subbast. C. 3.*  
*Com. 7. n. 3. seqq.* &c si in proclamatione mentio facta  
 quod licitatores in loco judicij nomina sua profiteri de-  
 beant, is, qui domino jurisdictionis schedulam licitationis  
 extra locum judicij adeoque in loco privato obtulit, hic  
 vero remittens licitatem ad locum judicij recipere  
 detrectaverit præferri haud potest illi, qui primus in  
 loco consveto pro re subhaftata certum preium nomi-  
 naverit. *D.N. RIVIN. Enunc. 40. t. 39.* Quod si dubium  
 emerget, ratione anticipationis res dirimenda jura-  
 mento, ita cum ante fores templi per publicam procla-  
 mationem venum exponeretur prædium, duo autem  
 licitatores concurrerent, quorum hic licitationis sche-  
 dulam offerri curaverat Scabinis paganis proclamanti-  
 bus, ut eam Actuario judicij post relationem peractæ  
 proclamationis traderent; ille vero interea literas  
 exhibuerat, sub conditione juramenti priorem ad-  
 misserunt Dnn. Scabini Lipsienses, quod præjudicium ex-  
 hibet. *Enunc. 47. D.N. BERGER. Discept. Forens. tit. 39.*  
*n. 6.*

### §. XLVI.

Moto concursu mulieres ratione dotis & illatorum  
 gaudent speciali privilegio, & jure prælationis; non ta-  
 men ob fraudis suspicionem & amoris præsumptionem  
 illata per solam mariti confessionem extrajudiciale, da-  
 ta probari possunt, etiam si maxima pars creditorum  
 quoad suas prætensiones eodem probandi modo utatur,  
 ob diversitatem rationis, quæ inter has personas inter-  
 cedit, *D.N. RIVIN. Enunc. 5. t. 43.* inde uxor deficiente  
 aliquali

aliquali demonstratione ne quidem ad juratam confirmationem admittenda est. *Enunc. 6.*

**§. XXVI.**

*Retentionis jus remedium est salutare extrajudiciale, quippe quo quis in loco privato sibi adjudicat rem, tamdiu, donec satisfactum, si nempe jam eandem possidet, alioquin si rem privatam debitoris intraverit, jus crediti amplius non habere decrevit DIVUS MARCUS. L. 7. ff. ad L. 7. ff. ad L. Julian de vi privat. cum optimum sit, ut si quas se putat quis habere petitiones, actionibus experiatur. L. 13. ff. quod met. caus. cuius decreti vis & & usus fori in Recess. Imp. de anno 1521. rubr. Wie in Irrung der Possession. §. Und ob sich. idem de anno 1522. rubr. Räummer-Gerichte / §. u. fundata, hodieque in foro Saxonico supereft defendente, DN. HORN. Claff. 19. Respons. 20. n. 16. & conceptis verbis in revisa ordinatione processus t. 5. comprobatur. DN. BERGER. Discept. For. t. 5. Obs. 6. n. 4. Similiter in eum qui cadaver mortuum in loco privato detinet, & ad sepulturam tradere recusat, donec ipsi ratione debiti satisfactum, determinata est in Nov. 6. Cap. I. poena gravissima: siquidem actione & jure petendi, licet justissimo, cadit, eandemque quantitatem hæredibus exsolvere, confiscationemque in tertiam substantia partem sustinere tenetur; insuper infamia notatur, aut. item qui. C. de Sepulchr. viol. STRUV. Synt. J. C. Ex. 15. Th. 83. quale præjudicium de vidua exequias cadaveris mariti defuncti ob illata prohibente legere licet, apud DN. RIVIN. Enunc. 25. t. 42.*

**§. XLVIII.**

In hypotheca bonorum immobilium constitutionem.

E 2

judex

judex de jure Saxonico consentire actumque judicialiter confirmare debet, extrajudicialium enim & in loco privato factarum oppignorationum in concursu creditorum nulla habetur ratio. Secus ac quondam de Jure Civili, juxta cuius dispositionem extrajudicialis judiciali æquiperabatur, Intervenientibus modo testibus. L. II. C. qui potior. in pign. DN. BERGER. Discept. For. t. 46. Obs. 3. in princ. At nunc judicialis posterior extrajudiciali priori merito præfertur; in bonis tamen mobilibus suum sortitur effectum. Interim is, qui alteri ad emendam rem immobilem pecuniam sub expressa rei acquisitæ oppignorationis lege & conditione mutuo dederit, etiamsi extrajudicialiter sātem hypotheca constituta, jure prælationis præ reliquis creditoribus etiam antiquorem habentibus moto concursu fruitur. O. P. S. t. 43. §. Also wenn einer. DN. RIVIN. Enunc. 41. & 42. tit. 43. Ex quo videmus, non simpliciter tutos esse credores primam licet hypothecam habentes, cum saepius ipsis ignorantibus bona immobilia hypothecis vel tacitis vel his extrajudicialibus gravata esse queant, an vero Dominus jurisdictionis, in bonis, super quibus habet jurisdictionem hypothecam sibi constituere, & consensum de super impetrari valeat, investigat C. A. S. P. ZIEGLER.

### §. XLIX.

Non tamen extrajudiciales immobilium hypothecæ omni plane effectu destituuntur. Nam debitor ejusque heredes de validitate excipere nequeunt, sed creditor contra hos actione hypothecaria experiri potest, ulterius extrajudicialiter coram notario & testibus impletatæ aut præsentibus testibus promissæ, aut per trans-

516.

transactionem quorundam arbitrorum sigillis & subscriptionibus corroboratae omnibus quidem jure reali gaudentibus etiam arrestantibus postponuntur. *Decis. Elect.*  
**60.** DAN. MOLLER. *ad Conf. 23. P. 2. n. 29.* dissentiente CARPZ. *P. 2. Conf. 23. d. 14.* Chirographariis tamen indistincte praeferuntur. *Conf. Elect. 23. P. 2. §. wenn auch § O.P.S.t. 46. §. da auch ein Gläubiger.*

## §. L.

*Cessiones nominum extrajudiciales & in loco privato faciae Jur. Sax. valent; nec ad formalitatem solennitates judiciales requiruntur per expressam sanctionem O.P.S. t. 46. §. ferner die Nomina CARPZ. P. 2. Conf. 23. d. 7. D.N. HORN. Claff. II. Reffpons. 62. n. 4. in Ducatu tamen Magdeburgico cessiones actionum jurium & nominum non aliter, quam judicialiter fieri possunt. Ord. Pol. Duc. Magd. C. 50. §. 2. Quam in pronunciando observasse Facultatem Wittebergensem testatur D.N. HORN. Claff. II. Reffpons. 52.*

## §. LI.

*Arresti petatio proprie actus judicialis non est, ergo non opus est, ut creditor judicem pro tribunali sedentem adeat, sed sufficit eum domi suæ vel in via publica aliove in loco pro Arresto decernendo compellare.* CARPZ. *P. 2. Conf. 15. d. 12. idem in Proc. t. 21. Artic. 3. num. 13.* MART. *t. 48. §. 1. n. 7. & t. 9. §. 2. n. 22.* Et licet sit contentiouse jurisdictionis cognitionemque causæ requirat, cuiusmodi actus alias in loco judicii suscipi debent; videatur tamen hic aliud recipi, cum de plano concedantur, adeoque etiam extrajudicialiter fieri posse. Ut taceam eo casu periculum in mora adesse, quo recedendum

a regulis communibus C A R P Z . P . I . Cons̄t . 29 . d . 15 . M A R T .  
i . 51 . § . 3 . n . 9 .

## §. LII.

Cauponum odium quamvis in jure alias maximum, Arresto tamen extrajudiciali & in loco privato absque injuria afficere viatores atque propria auctoritate detinere possunt abituros, qui nondum exsolve-  
runt consumta P E T R . M U L L E R . ad S R U V . Synt . Jur . Civ .  
Ex . 8 . Tb . 3 . l i r . k . per verba expressa O . P . S . t . 51 . 9 . Nach  
dient der Arrest in fin . Dum enim reipublicæ interest caupones esse, apud quos advenæ recipientur L . 1 . 5 . ff .  
Naut . camp . Stabul . Publica etiam exigit utilitas, ut citi-  
sime illis solvatur , ne desistant ab hospitatione  
ZIEGLER . ad d . t . verb . ein G a s t . M A R T . ad eund .  
num . 108 . seqq .

## §. LII.

Plura adhuc hac de materia afferri potuissent, at  
dum O . P . S . hactenus ante oculos maxime habuerim,  
majorque, quam speraveram , evaserit dissertatio , ul-  
teriori progreedi non licuit . Reliqua potius commo-  
diori occasione reservans, filum hic abrumpo : Abs te  
L . B . etiam atque etiam contendens velis haud sinistre  
de hoc labore judicare . De cætero divino Numini  
pro concessis hucusque viribus sit laus & semi-  
piterna gloria fine

F I N E .


Wittenberg, Diss., 1711 A-6

ULB Halle  
005 310 563

3







Q. D. B. V.  
DISSESSATIO JURIDICA INAUGURALIS 498  
DE 99  
EXPEDITIONE 044  
ACTUUM 1211 6<sup>a</sup>  
JUDICIALIUM  
EXTRAJUDICIALI,  
ET IN LOCO PRIVATO,  
QUAM  
ANNUENTE DIVINA GRATIA,  
AUSPICIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
FRIDERICI AVGVSTI,  
PRINCIPIS REGII ET SAX. HERED. ETC. ETC.  
PRÆSIDE  
DN. GEORG. BEYERO, J.U.D.  
PANDECT. IN ACADEMIA WITTEBERGENSI P. P.  
ET DICASTERIORUM, QUÆ IBIDEM FLORENT,  
ASSESSORE GRAVISSIMO,  
PRO LICENTIA GRADUQVE DOCTORIS  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXPONET  
GOTTLOB RIVINUS, LIPSIENSIS.  
DIE V. OCTOBR. AN. MDCC XI.  
VITEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.

